

www.e-rara.ch

**Positiones Tumultuariæ De Reviviscentibus iis, qui mortui
credebantur**

Harscher, Nicolaus

Basileæ, [1721?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150436>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Σὺν Θεῷ

POSITIONES TUMULTUARIÆ

De

REVIVISCENTIBUS

iis, qui mortui credebantur

Quas

Occasione vacantis Sedis Medicæ

Scito & consensu Ordinis Gratiōse

In Auditorio hyberno

Ad diem 12. Decembr. Anni M D CC XXI.

placido Eruditorum examini submittit

NICOLAUS HARSCHERUS,

Phil. & Med. Doct. Eloq. Prof. Publ.

Acad. p. t. Rector.

Respondente

Juvene Doctissimo

JOANNE BUXTORFIO,

A. L. M. Med. Cult.



BASILEÆ, *Opus Vidua Friderici Lüdii.*



Catalog

REVIVISCENTIBUS

Occurrit vacante Sedis Medicis
et de ceteris Ordinibus
In Auditorio
Adhuc in Decembris
Pecunia Praedictorum

NICOLAUS HARSCHNERUS

Philosophus Doct. Phil. et Phil.
Acad. p. e. Rector

Responsante

JOHANNES BUXTORFIO



Basileae, Typis



PROLEGOMENA

De

Reviviscentibus iis, qui mortui habebantur.

§. I.



N Medicorum libris frequentes satis observationes occurrant eorum, qui ad vitam redierant, postquam mortui credebantur; ita ut vel jam comploratu facto habitu ferali induti, vel in conclave interius sepositi aut etiam capulo inclusi, nonnunquam & tumulo jam conditi, aut omnino, quod in peste fieri solet, inter alios mortuos negligentius abjecti, re-

divivi facti legantur plures. Hinc operæ pretium existimo, in causas ejusmodi phenomenon accuratius inquirere, quo illud miseræ mortalium conditioni profuturum conficiamus, ne quis posthac de cujus in vitam reditu spes esse possit pro mortuo abjiciatur sed præter imperitorum opinionem adhibitis quibuscunq; auxiliis in Vitam revocetur restituaturque saluti.

§. 2. Tale verò quid, dum hoc nunc ago, mihi propositum esse video, demonstrare quinam ex iis qui mortui visi sunt, possint vitam recuperare? Ubi statim occurrit, eos in horum numero futuros, qui causas vitæ ita adhuc habent dispositas in machinâ cor-

poris sui, ut in actum vel sponte naturā vel adhibitis variis remediis deduci rursus queant: hoc enim si fuerit, dubium nullum est, quin illis reviviscere detur. Causis enim in actum positis effectus semper sequitur.

§. 3. Debere autem iis qui a fatali, ut videbatur, meta revocantur ad lucem, talem dispositionem causarum Vitæ adhuc inesse, non ratio solum dicit, sed res monet ipsa: Siquidem ubi lubet casus omnes Reviviscerent percensere, illos maximè ad vitam rediisse observabimus, quorum quæ mors visa fuit repentinò accidit: veluti Syncopticorum, apoplecticorum, ingentem deperditionem sanguinis passorum, aqua suffocatorum, suspendio neci datorum; laborantium hysterica passione, in crisi acutarum febrium constitutorum; congelatorum, metu exanimatorum & aliorum, quibus vita vegeta paulò ante fuit viresque integræ, ita ut repentino illo casu quo tales homines occubuisse falsò existimabatur, instrumenta vitæ non destructa penitus supponere liceat, sed modò ad tempus, ne in actum deducerentur, impedita; obstaculo verò vel naturæ vel arte remoto, pristinos rursus motus inchoasse effecisse, ut in membra jam frigentia sensus animæ reduceretur.

§. 4. Hinc autem statim videmus, quā via nobis investigandum veniat, quod de redivivis proposuimus. Nimirum motuum tantum vitalium causæ nobis sunt indigitandæ, quibus pro omnibus Facultatibus & viribus suis cognitis, intelligere forsan quoq; dabitur, quomodo illæ imminui, arceri, sisti possint, ne in actum deducantur; ita tamen ut nondum penitus sublata, eversa, destructæq; existant.

C A P. I.

De Vitæ causis & cordis motu.

§. 1. **V**ita consistit in motu partium corporis solidarum & fluidarum.

§. 2. Iste motus constat certo itu redituque partium: in solidis vocabitur ille reciprocus; in fluidis, circularis.

§. 3. Hunc motum vitalem peragit natura corporibus æquilibratis quam commodissimè; siquidem in talibus additio vel

vel subtractio vis etiam minimæ mutationem motus facit.

§. 4. Cor dici debet Autor omnium motuum vitalium in corpore nostro, siquidem sanguinem ejaculatur reciproci cujusvis in corpore motus causam.

§. 5. Primò enim ipsum sui motus est causa per singularem fibrarum suarum constructionem. 2o. per sanguinis in vasa coronaria influxum.

§. 6. Ex Anatomia cordis apparet, illud esse muscolum cavum & pendulum fibrarum diversa helice constantem, cujus ratione instar funependuli mox contorqueri, modo iterum rectorqueri valet.

§. 7. Post cordis contractionem, per arteriæ aortæ systolem fit sanguinis in coronaria Vasa influxus, qui elongationem & dilatationem in corde efficit, simul verò retortionem ad suum, qui in corde possibilis est, gradum perducit.

§. 8. Hac verò ratione canalis arteriarum coronariarum ad contractionem, simul & funiculi nervei Vasa ista hederæ instar ambientes, tum & ipsas fibras carneas colligantes ad majorem contractionis nisum disponuntur; quæ per systolem cordis peractâ, sanguis vasorum coronariorum pro aliquâ sui parte expellitur in vasa arteriosa auricularum hætenus clausa.

§. 9. Sic & eas ad dilatationem disponit simul & fibrarum nervearum nisum majorem efficit, quò sublatâ postmodum in dilatatione cordis resistentia possint & ipsæ receptum cavo suo sanguinem in ventriculos deponere, ut iterata systole eum in arteriam aortam ejiciat atque in totum corpus dividat.

§. 10. Quin sanguis ex auriculis in ventriculos cordis injectus, suo quoque momento ad systolem istius faciat, nullus dubito.

§. 11. Non minus verò ad hunc motum reciprocum peragendum, situm pendulum aliquid facere autumamus; siquidem corculum pulli, in ovo tres vel quatuor dies incubato, ex aquo suspensum ad motum suum vel halitu oris calido resuscitari etiam quarto die, postquam apertum fuit ovum,

con

contigit observare ; sed perruptâ tandem membrana, ex cujus vasis cor dependebat , citò ejusdem motum fatiscere & tantum non perire deprehendi.

§. 12. Cor tamen carpionis asserculo impositum sine motu jam existens , apice verò versus basin pressio rursus reviviscens, satisq; diu systolen vel diastolen continuans ostendit ipsam helices fibrosæ conformationem ad hunc motum facere, quod pressis in unam partem fibræ necessariò illæ quoque in aliam redeant : siquis tamen heic itum aliquem & reditum sanguinis in vasis cordis admittere simul velit, vehementer non repugnabo.

§. 13. Idem sicut in aliis animalibus notatur, velut ranae execto corde atque viperæ &c. ita quod in homine & animalibus grandioribus per flatum in ductum thoracicum immissum refuscitari cor posse observetur ; ab eadem fibrarum cordis in helices modum dispositarum structurâ & ad contractionem nisu proficisci existimamus. Experimenta autem hujus rei prostant in *Exercit. Pæon & Pythagor. p. m. 236. in Peyerii parergo 7mo. in Brunneri de pancreate secundario tractatu. p. 74.*

§. 14. Quod spiritus animales ad contractionem cordis peragendam accedant asserere non ausim : illud autem pro certo habeo oscillationem quandam à cerebri & duræ meningis motu ad cor usque pertingere : tensionem autem reciprocâ modo in corde modo in auriculis esse aliquam etiam quoad nervos, non negaverim.

§. 15. Experimentum illud quod afferunt *ex Louvero p. m. 91.* ligato vel abscisso nervo cardiaco perire motum cordis, ad demonstrandum spirituum influxum mihi haud sufficit.

§. 16. Id tantum hinc necessario sequitur cum nervus vel ligatus est vel abscissus alternum cordis motum turbari, seu nimia in corde laxitate s. stricturâ superinductâ.

§. 17. Jam verò ut in viam redeamus, etiam in cor agunt canales arteriarum se contrahentes, atque retortionem cordis s. diastolen quoque adjuvant.

§. 18. His autem probe perpensis, quæ ad sopum nostrum

strum propius faciunt considerata: nempe cor posse in systole diutinâ contineri, quæ tamen sponte vel arte remittere potest.

§. 19. Posse item in diastole servari diutinâ, sic tamen ut vis contrahens redeat.

§. 20. In his casibus corpus debet esse mortuo simile; nec enim sanguinis influit vitæ Autor.

§. 21. In systole cor suspensum manet, ubi nervi spasmò afficiuntur, vel per sympathiam vel per idiopathiam.

§. 22. In diastole servatur, ita ut à systole diu vacet cor, post hæmorrhagias nimias.

§. 23. Sanguine nimis evacuato, & cordis contractiones minores & arteriarum expansiones prope nullæ.

§. 24. Circulatio potest fieri prope cor, absque ut fiat in remotissimis à corde partibus, vel saltem absque ut sit sensibilis.

§. 25. Sanguis quanquam facile in substantiam serosam & fibrosam secedat, tamen potest dari casus, ubi sisti illius fluiditas sensim queat, & alius itidem, ubi ad pristinam fluiditatem revocari; absque ut in has partes secedat.

CAPUT. II.

De

Respirationis motu vitali.

§. 1. **R**espiratio altera actio reciproca est, quâ vita constat.

§. 2. Reciprocum hunc motum edunt hinc musculi intercostales cum musculo subclavio pectus elevantes; inde musculus dorsi latissimus cum costis elasticis pectus deprimentes.

§. 3. Respirationis porro organum præcipuum diaphragma præbet; antagonistas habens abdominis musculos.

§. 4. Aëris gravitate & elasticitate peragitur pulmonis expansio.

§. 5. Probabilius mihi cum Baglivio fit, moveri thoracem & respirationis organa, quod aër ingrediatur; quam moveri

moveri primò thoracem & vicinum aërem pellere, ut pulmones ingrediatur.

§. 6. Aër autem non peragit hunc motum nisi instrumentis benè dispositis, quoniam proportionatarum tantum est virium.

§. 7. Sicut verò mutatur respiratio pro ratione aëris calidi & frigidi, densi & rarefacti; ita sisti planè potest, si hæ qualitates nimium à naturali statu recedant.

§. 8. Diaphragmate spastice contracto potest sisti respirationis actio, sicut etiam hoc fit si & reliqua organa simili modo unà afficiuntur.

§. 9. Sanguinis circulus plurimùm promovetur pressione in massam sanguineam per respirationem introductâ.

§. 10. Cordis motu cessante, necessariò quoque respiratio sistitur.

§. 11. Vicissim respirationis motu cessante, sistitur quoque cordis actio & sanguinis circulus.

§. 12. Ventriculi & intestinorum motus ab ipsa quoque diaphragmatis & abdominis musculorum reciprocatione dependet.

CAPUT. III.

De

Cerebri motu.

§. 1. **M**Otu quoque reciproco movetur Cerebrum, quo cessante motus & sensus omnis perit.

§. 2. Membranæ duræ motus oritur tam a sanguinis per arterias vertebrales & carotides influxu, quam a fibrarum quibus constat robustioribus lacertis.

§. 3. Si Pachiono credimus *dura meninx musculus est sui generis membranaceus, triventer & quadritendineus.*

§. 4. Continuatur in totum corpus oscillatio ab hac meninge profecta: puncta enim hæc membranâ continuò omnes illius lateris partes spastice contrahuntur.

§. 5.

§. 5. Laxâ hâc membranâ laxa ntur etiam motus sensuum & musculorum.

§. 6. Strictâ vehementer intenduntur, ut in maniacis & melancholicis.

§. 7. Necessariò habet hâc membrana motum quoque reflexivum a nervis omnibus & singulis per corpus dispersis ad caput usque continatum.

§. 8. Quod verò medulla nervorum, quo magis origini suæ vicina, mollior sensim fiat, mollissima autem in cerebro existat: hinc credimus infringi eâ mollitie nervis impressam in partibus exterioribus oscillationem.

§. 9. Si plures nervi simul oscillationem suam ad Cerebrum deferunt; aut unus solus vehementissimam; eò vehementius quoque cerebrum afficiunt, ut in cephalalgia, vertigine, epilepsiâ ex consensu patet.

§. 10. Si meninges & Cerebrum moventur a sanguine certo momento influente; momento eo imminuto vel resistentiâ auctâ minus procedere debet oscillatio.

§. 11. Illud quod observavit Valsalva, (affectus Apoplecticos, in quibus sinistra corporis medietas resoluta est causam habere in dextro Cerebri hæmisphærio; & vicissim) ostendit æquilibratas esse partes lateris dextri & sinistri in statu naturali.

CAPUT. IV.

De

Redivivis aquâ submersis.

§. 1. **R**edivivos, qui aquis submersi fuerunt primum considerare lubet. Teste *Alexandro Benedicti*, l. 10. c. 9. de curandis morbis. In undis submersi post octo & quadraginta horas recreati revixére.

§. 2. Exemplum item habet Borellus nobilis Viri, qui licet aquismersus diu mansisset, & tandem repertus pro mortuo habitus fuisset, ad vitam revocatus fuit.

B

§. 3. Quæ-

§. 3. Quanam sit subitæ mortis causa disputant, an nimia aquæ potatio : an Respirationis inhibitio ?

§. 4. Medicus quidam cum alio sponfione certans ; primum illud fieri contendebat, ipse verò mox tristi casu submersus & cultro Anatomico subjectus contrarium probavit : In hunc lusit non nemo sequenti Epigramate

Undis submersos undas potare putabas,

At nunc in proprio corpore, morte negas.

§. 5. Plateri quidem, Foresti & aliorum observationibus persuasi sumus aquâ aëris loco in asperam arteriam illapsâ suffocationem fieri. Sed nostra quoque experientia in animalis aquâ submersi ventriculo nihil aquæ fuit repertum.

§. 6. Nuper quoque cum puerum in Rheni aquas altius petulantia detrusum prospectaremus, inaudivimus postea illum cum post horam extractus fuisset, micæ panis ore adhuc tenuisse.

§. 7. Si itaque in pulmones irruit aqua bronchiaque replet : dilatationem pectoris protinus inhiberi necesse est : nam nimium est momentum aquæ gravantis.

§. 8. Sed & sanguinem frigore aquæ tactum & ob inhibitam respirationem non amplius motum, brevi subsistere conjecturare fas est.

§. 9. Cordis quoque motum diminui, & tantum non fisti credendum : in illis autem, qui reviviscunt, aliquam adhuc pulsationem micare suspicandum ; aut certè fibras nondum penitus obrigescere.

§. 10. Non aliter itaque reviviscere tales possunt, nisi pondere aquæ pulmones opplentis remoto. Sanguini item fluxilitate cordique viribus novis conciliatis.

§. 11. Hæc autem cum effectui dare queamus pedibus sursum conversis, vomitus proritatione, frictione, calore lecti ; fortu ex aquis spirituosiss, spiritus sciscitatione aliisque ; mirum non est quosdam ad vitam revocari,

§. 12. Infanticidas apud Platerum syncopicas magis fuisse, quam verè omnia aquâ submersorum symptomata passas cum ipso nobis persuademus.

CAPUT. V.

De iis, qui ex tetrīs vaporibus haustis
Redivivi facti sunt.

§. 1. **A** Vaporibus tetrīs suffocatos plures revixisse perhibentur passim : Schenkius l. 2. obs. ex Paræo casum affert de duobus servis, quos tota familia rebatur mortuos, de genere tantum mortis dubitabat ; an strangulati fuerint, aut sibi ipsis vitam præcluserint, aut apoplexia tacti fuerint.

§. 2. Aër fumis carbonum, cerevitiæ & multi recentis vaporibus, sulphureis aliis exhalationibus refertus pressionem & gravitatem majorem habet ; quod ostendunt lumina in illo extincta.

§. 3. Sed sulphura quoque vaporum istorum, sicut nervos olfactarios ingrate afficiunt, ita stringunt quoque internas trachæ & vesicularum pulmonalium fibras.

§. 4. Pulmo itaque debite neque expandetur neque constringetur : subsistere incipiet sanguis, resistentia major erit cordi opposita ; cerebrum minus expandetur ; sensus hinc tandem & motus peribit.

§. 5. Remoras autem vitalium motuum omnes has remonent liberioris & purioris aëris admissio ; stimuli naribus, palato, ventriculo, ipsi quoque alvo admotio & alia de quibus in superioribus jam diximus.

§. 6. Quæ in specu Charonio prope Neapolim suffocantur animalia à sulphureis exhalationibus, ea vel solus aër restituere valet, vel simul aqua lacus Agnani propinqui, naribus & palato impactos fumos detergens : de quibus vide *Kircher. Mund. subterr. C. 5. l. IV.*

CAPUT. VI.

De Laqueo Strangulatis.

§. 1. **L** Aqueo Strangulatos revixisse multæ pariter historiæ docent. Fertur Lutetiæ Virum suspensum & in Collegio Anatomico repositum sequenti die vivum repertum fuisse ; *Borellus* : similia habet *Forestus*.

§. 2. Retulit aliquis ex suspendio liberatus, in nulla parte se plus molestiæ pertulisse, quam in oculis & extremis pedum digitis. *Schenkii ex Gabelchovero.*

§. 3. In capite suffocatorum laqueo tumescere debent omnia, tendi vehementer & tantum non perrumpi vasa, quæ ruptura vasorum, si in caput s. cerebrum aliquid sanguinis effundatur, vix spem restitutionis relinquit ullam.

§. 4. In inferiores quidem partes sanguis liberius quidem, sed tamen non sine difficultate movebitur, pondere corporis extensi vasa arctante, respiratione autem impeditâ circulum sanguinis morante.

§. 5. Si quid tamen sanguini motus intestini & progressivi superest, neque cor penitus obrigit: aëre rursus libero admissio mirum non erit redire hos aliquando ad vitam posse sponte suâ.

§. 6. Præter venæsectionem, Gargarismos, ars quoque reliquos suos stimulos si adhibet, poterit blandos cordis motus rursus suscitare spiritusque liberum commeatum promovere.

§. 7. Dubitari potest an *Sancti Martini*, apud *Sulpitium Severum* descriptum, verum sit miraculum: cum servulum, qui laqueo sibi Vitam extorsisse putabatur, è mortuis suscitasse dicitur; existimo sola spiritûs insufflatione eum revocatum fuisse.

CAPUT. VII.

De

Redivivis sanguinis hæmorrhagiam nimiam passis.

§. 1. **C**asus sanguinis ingentem depauperationem passarum sequuntur. Foemina quæ plurimum sanguinem amiserat, seponitur per noctem pro mortua: mane visentes cubiculum reperiunt eam prope ostium humi jacentem, alio in loco quam quo reposuerant; unde illam revixisse comperit, auxiliis verò quod careret, mortua concidit.

§. 2. Alia quædam viginti duorum annorum mulier teneri constitutionis, meticulosa valde, secundo partu edito lochiorum

chiorum nimium fluxum passa mortuæ similis evadit, componitur ad sepulturam : accedens post 24. fere horas proavia ipsius octuagenaria gressu anili, deprehendit calidam nonnihil faciemque rubore aliquo rursus suffusam ; misere vociferat negligentia adstantium suam periisse proneptem.

§. 3. Nisi per systolen arteriæ aortæ sanguis in villos cordis vasaque coronaria adigatur ; musculus ille in contractione sua primum languebit , dein intermittet, tandem subsistere planè videbitur.

§. 4. Sed nec auriculæ fungentur contractionis officio , nisi influat in ipsas sanguis, tum ex vena cava tum ex pulmonali.

§. 5. Eclysin cordis augere potest timor & metus ille, quò plerunque magnam sanguinis jacturam patientes agitantur.

§. 6. Quæritur igitur meritò , quâ ratione tales ad Vitam redeant. Dicendum videtur primò : sicut partes corporis nostri sunt spongiosæ maxime, ita inanitis majoribus vasis posse motu tonico ex minoribus humores premi cavumque majorum vasorum rursus aliquo modo impleri, atque sic cordis motum redintegrari.

§. 7. Porro erit forsàn quoque in lacteis & lymphaticis vasis ductuque thoracico aliquid humoris , quod dum illabitur venæ subclavicæ per cavam ad cor pergit.

§. 8. Illi quoque motus, tantisper remittere possunt, quos induxit animi affectus.

§. 9. Aliquid etiam facere potest ad motum sanguinis faciliorem situs, quo deponuntur mortui, supinus maxime.

CAPUT. VIII. De Hystericis.

§. 1. **H**Aud facilè in alio morbo plura reviviscentium occurrunt exempla præterquam in hystérico ; sicut in Observationibus à Schenkio collectis Lib. IV. varia exempla reperire licet, earum quæ post septem dierum spatium, post quadrduanum item & triduanum ad vitam redierunt.

§. 2. Fama est Vesalium ingenti errore talem secasse ; vide Schenk. *ibid.* ex Paræo.

§. 3. Audimus fœminas hystericas de cordis spasmō & constrictione, quasi manu comprimeretur, plurimum quærentes: discussio item paroxysmo de magno cordis gravamine & oppressionē.

§. 4. Dubitari heic potest an quod *Louuerus* dicit; sanguis in corde talium fœminarum stagnet & grumescat, illudque onere suo opprimat & gravet? an verò simpliciter spasmō prehensum cor, in systole contractum permaneat? sicut reliquis etiam musculis accidere posse palam est.

§. 5. Medius forsan quoque casus dari potest, quo cor quidem spasmodicè affectum existit, sed tamen aliqualem systolen & diastolen adhuc peragit.

§. 6. Ultimam hanc sententiam si admittamus, fortassis explicabimus, quomodo adhuc respiratio aliqualis contingat, quamvis insensilis propè.

§. 7. Possibile autem est, post aliquod temporis interval- lum spasmum tolli, siquidem & sanguinis orgasmus conjunctus necessario remittit atque subsidet.

§. 8. Ergo aliqua rursus fluxilitas sanguini circa cor congesto conciliabitur; cordi facta resistentia minor sensim fiet, ad motus rursus suscitabitur & respiratio procedet.

§. 9. Ad hoc caput referre liceret exemplum odoris fragrantia mortui & cœno restituti, quod citat *Ramazzini* p. § 14 ex *Casp. de Ries*.

10. Huc quoque referendi Epileptici, quos aliquando revixisse legimus.

CAPUT. IX.

De

Congelatis.

§. 1. **C**ongelatos ad vitam revocari, si rectè memini, hæc ratione audivi: admovent tales non statim ad hypocaustum alpicolæ; sed primò stabulis inter armenta reponunt; dein sensim eos majori calori admovent; sicque & hi inter Redivivos numerandi.

§. 2. *Leger Hist. Valdens.* c. 1. de muribus alpinis tradit novem

novam menses dormire : ubi verò spelæis extrahuntur reviviscere ad fornacis calorem admosos aut aquæ calidæ immesos.

§. 3. De reliquis animalibus veluti hirudinibus, alitibusve aliis ranis, cochleis &c. nil attinet dicere: de omnibus dubitari potest ; annon pulsus aliqualis cordis superstes sit ?

§. 4. Si de homine congelato sententiam dicere oportet : censemus, quod corporis ejus superficies vi frigoris tacta contrahatur : unde plus sanguinis in partes interiores pellitur ; majorque cordi sic nascitur resistentia,

§. 5. Sanguis item in pulmonibus contactu frigoris afficitur ; unde subsistere incipit in minoribus, mox in majoribus valis : quod rursus resistentiam in cor auget.

§. 6. Infarctis hac ratione valis versus cerebrum quoque & membranis omnibus frigore adstrictis, sensim obrepere somnus debet : qui tandem mortis similem imaginem affert.

§. 7. Possibile verò est, cum non necessario pereat omnis pulsus cordis, si sensim, quod gelu adstrictum est in solidis & fluidis partibus, solvatur, tales ad vitam redire.

§. 8. Frictiones & lavationes aqua gelidâ aut nive factæ in hunc finem prosunt, aquæ & aëris calidi usus quam maxime nocet. vid. Fabr. Hild. p. m. 792.

CAPUT. X.

De

Apoplecticis redivivis.

§. 1. **A**poplecticos redivivos fieri passim constat ; unde ne ante quartum diem sepeliantur accuratè præcipiunt. Vide *Schenckii Observ. Lib. I. p. 94.* In *Theatro Historiæ Universalis Gallice scripto* mentio fit *Henrici Wats verbi divini Ministri, Gentis Scoti* qui decima quinta Mensis mortuus apoplexiâ credebatur ; decimâ septima inter sepulturam revixit ; munus verò concionandi obivit rursus 24ta ejusdem Mensis.

§. 2. Quotquot autem legi tales historias fateor me non satis accuratè discernere posse annon Syncope vel alio ejusmodi morbo prehensî fuerint ii, qui apoplexia periisse dicebantur.

3. Quic-

§. 3. Quicquid fuerit, cum *apoplexia* sit subitanea sensus & motus abolitio ab effusione sanguinis aut feri in Cerebrum vel ab obstructione aliqua in Cerebri vasis orta ; conjecturare licet posse & hicaliquem ad vitam reditum habere locum.

§. 4. Supponere itaque oporteret, aut materiam sanguinis & feri in vasa resorptam fuisse ; aut per commodum locum excretam ; aut obstructionem vasorum quoque modo sublatam.

§. 5. Venæ sectiones, frictiones prægressæ, commotiones vehementes item & agitationes corporis, situs supinus, possunt forsan expedire motum Cerebri suspensum aut motum sanguinis in vasis obstructis impeditum, & pressione Cerebrum liberare.

§. 6. Cum brevitati studeamus omittimus aliquid dicere de redivivis post morbos acutos ; febres imprimis pestilenciales ; quorum exempla prostant apud Platerum, Hildanum, Purmannum & alios : quod apud *Sitonium Iatrosoph. Miscellan. Tract. I.* exemplum habetur Virginis ex peste mortuæ & redivivæ falso miraculo adscriptum censemus.

§. 7. Superse demus quoque dicere de redivivis infantibus recens natis, pro mortuis per plures horas habitis ; item de mortuis ex nimio solis æstu : generales tantum quasdam in omnem hanc rem subjungimus cautelas.

§. a. Imperitia adstantium vivorum numero sæpe eximit, eos qui pulsum adhuc micantem non nihil habent, ut est apud *Lusitanum Curat. 23. Cent. 4.*

§. b. Respirationem etiam aliqualem residuam frequenter negligit.

§. c. Ablato motu voluntario supersitem sensationem experiri omittunt.

§. d. Timor atque horror adstantium facit ut plures pro mortuis seponantur, in peste præprimis, qui tales non sunt.

F I N I S.

Θεω

POSITION

MULTUARIÆ

REVIVI

ENTIBUS

iis, qui

bantur

Occasione

Medicæ

Scito & c

Gratiosè

In

Ad diem 12.

CCXXI.

placido Er

submittit

NICOLAU

SCHERUS,

Phil. & Med

Prof. Publ.

Ac

Ref

r.

JOANN

nte

A

RFIO,

BASILE

Vidua Friderici Lüdii.

Catalog

